



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Disputatio 10. Expenditur alter modus defendendi influxum Gratiæ, ut lis
est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

DISPUTATIO X.

EXPENDITUR ALTER MODUS DEFENDENDI
INFLUXUM GRATIÆ, UT LIS EST.

322. **D**uplex superest via, qua aliqui defendunt influxum gratiæ, ut lis est, illa scilicet, ut a sunt, libertate. Primam viam aggrediuntur aliqui Recentiores cum Muniessa. Secundam vero alij cum Ant. Perez, & Esparza: examinabimus primam in hac disputatione, ut ad alteram in sequenti disputatione progrediamur. Multa supponunt in præsentis Recentiores isti ad defendendam suam opinionem, in quibus, quia vera cum falsis permiscuntur, opus erit ea præmittere, simulque vera à falsis separare, ut ad assertionem nostram, atque ad impugnationem adversariorum perveniamus: sit

SECTIO I.

De Requisitis ad Controversiam.

323. **A**d defendendum influxum gratiæ, ut lis est, plures affert notationes Muniessa, pluresque alias observationes addit alter Recentior, quas opus est in præsentis referre, & examinare. Notat Muniessa 1. non omnia principia actus liberi esse eodem modo indifferentia; nam voluntas est activè indifferens ad utramque partem, ita, ut influat in actum, si eligitur actus, & in omissionem, si eligitur omisio: auxilia verò, & habitus virtutum, quibus completur voluntas ad actus, non sunt principia activè indifferentia; quia, licet activè influant in actum, si eligitur actus, non tamen influant activè in omissionem, si eligitur omisio. Ex quo infert cum Ribad. disp. 17. de act. hum. voluntatem esse naturam priorem qualibet libertatis parte; quia quæcunque pars eligatur, causatur à voluntate; cætera verò complementa tantum esse naturæ priora illa parte, in quam influunt, non verò altera parte, in quam non influunt. Quare indifferentia principiorum, ut salvetur libertas, non debet esse semper activè in utramque partem, licet debeat esse saltem passiva, id est, debeant esse principia ita indifferentia, ut vel à voluntate possint componi cum qualibet parte, quam elegerit, vel, si aliquid est inconjunctibile cum ea parte, quæ eligitur, possit à voluntate impediri, si ve amoveri pro suo libito.

324. Notat 2. Gratiam juxta hanc Dei legem offerri adultis dependentem à libera eorum dispositione; parvulis verò absque illa: adveniente autem præcepto conservari in ipsis dependentem ab ipsorum voluntate, cum sit ipsis liberum peccare, & sic amittere gratiam, vel non peccare, & sic retinere gratiam. Cæterum inter primam gratiæ infusionem in adultis, & ejus

conservationem intercedit hoc magnum discrimen, quòd ad primam gratiæ infusionem debet præcedere positiva dispositio, à qua movetur Deus, ut conferat gratiam: at verò, ut conservetur gratia, non debet præcedere positiva dispositio, sed satis est, quòd homo non peccet; quia Deus non nisi causâ peccati auferit gratiam semel concessam: unde in casu præcepti, non requiritur actus tanquam dispositio prævia ad gratiam in instanti, in quo urget præceptum, sicque non est prior naturæ gratiæ conservatio, solumque requiritur actus tanquam removens prohibens, nimirum tanquam removens omissionem, quæ esset peccatum prohibens gratiæ conservationem. Ad hoc autem, ut non detur peccatum pro instanti, quo urget præceptum, satis est, quòd pro eo instanti detur actus, quin debeant dari pro priori naturæ ad conservationem gratiæ, actus ergo solum est dispositio prævia ad augmentum gratiæ, modo, quo prima dispositio est dispositio ad primam gratiæ infusionem.

Notat 3. Quæstionem non esse de homine pro primo instanti, quo habet gratiam; sed requiri ad minus duo instantia, in quorum primo gratia sit infusa à Deo dependentem à priori à dispositione hominis; & in secundo conservetur gratia dependentem ab exercitio actus præcepti, non quidem à priori, & tanquam à dispositione, sed à posteriori tanquam à removente prohibens: vel non conservetur, sed impediatur per omissionem actus peccaminosam: quia Deus de facto habet legem de non conservanda gratia in eo instanti, in quo detur peccatum. Exinde ad rationem dubitandi datam n. 293. Respondet, gratiam connexam cum actu, & impossibilem cum omissionem non ob stare libertati; quia licet voluntas non possit componere omissionem cum gratia, potest nihilominus secum componere omissionem, & per omissionem impedire gratiam: nam licet gratia non sit indifferens, ut componatur cum actu, vel cum omissionem, est tamen indifferens, ut pro eo instanti conservetur, si fiat actus, vel impediatur, si actus liberè omitatur à voluntate.

Ex his omnibus infertur, disparitatem inter gratiam, & physicam prædeterminationem. Nam prædeterminatio Thomistica non pendet à libito voluntatis, sed est solius Dei miserationis, & non hominis volentis, neque currentis: gratia verò est in instanti præcedenti A. indifferens, ut conservetur in instanti sequenti B. vel impediatur pro libito voluntatis. Nec obstat, quòd gratia sit principium antecedens, ne possit impediri pro libito voluntatis; quia, licet non possit

Ecc 3

sic

sic impediri per libitum actus, respectu cuius est principium antecedens, impediri potest per libitum omissionis, respectu cuius non est principium, imò nec existit.

327. Veruntamen, licet doctrinam istam de prioritate naturæ, quæ falsa est, ut infra constabit, permitteremus, nulla hucusque traditur solutio argumentis, utpotè impugnantibus istum influxum gratiæ independentem ab eo genere prioritatis naturæ; nam ut voluntas posset liberè elicere omissionem, requirebatur, quòd in eo instanti liberè haberet gratiam, quæ est disparitas assignata ab adversario inter gratiam, & præmotionem, quam quidem gratiam nequit habere pro libito suo: etenim voluntas solum habet duplicem libitum in eo instanti, nempe libitum omissionis, & libitum actus; atqui nequit habere liberè gratiam per libitum omissionis, cum per omissionem non habeatur, imò impediatur gratia: deinde neque potest illam habere liberè per libitum actum, cum ad efficiendum actum debeat jam præcedere gratia; ergo in instanti, in quo obligat præceptum, nequit voluntas pro libito suo habere gratiam; ergo nulla manet disparitas inter gratiam, & præmotionem. Cæterum, ut hæc omnia clariùs appareant, & impugnationes nostræ faciliùs percipiantur, expendamus sigillatim tres istas adversarij notationes, in quibus vera cum falsis permixta sunt, sicque constabit, quo in sensu admittendæ, & in quo rejiciendæ sunt, ne postea ex veris ad falsa transitus fiat, quem facere solent adversarij.

328. In prima igitur notatione tria docentur. Primum dari comprincipia in utramque partem libertatis physice influentia, cuius generis est voluntas; alia verò, quæ non influunt physice in utramque partem, & hoc verum est, nam auxilia indifferentia divinæ gratiæ influunt physice in actum præceptum, & non in omissionem peccaminosam. Secundum comprincipia ad libertatem requisita non esse priora prioritate naturæ quolibet libertatis extremo; sed solum extremò, in quod physice influunt. Hæc pars, licet defendatur à Ribadeneira, si sermo sit de extremo accidentaliter libero considerata secundum suam substantiam, ad quam sufficiunt principia ad unicam duntaxat libertatis partem, sine quibus esse non potest, non verò de extremo accidentaliter libero considerato ut libero; imò contrariam docet Ribadeneira disp. 17. de Act. Hum. cap. 1. num. 6. solvens secundam instantiā secundi argumenti, ubi hæc habet: partes, licet verè non influant in totum, tamen pro aliquo signo præsupponuntur ad illud: atqui omnia constitutiva libertatis sunt etiam causa saltem formalis extrinseca actus extrinsece liberi, ut fatetur ipse Ribadeneira; ergo &c.

329. Ratio autem est, quia actus est posterior naturæ respectu principiorum, & requisitorum per se concurrentium ad ejus productionem: licet enim non omnia prærequisita physice produ-

cant actum, attamen ea omnia constituunt causam expeditam ad producendum: etenim causa in actu primo proximo libera ad producendum non solum constituitur ex principio physice producente, sed etiam ex prærequisitis necessariis ad producendum; ac proinde non solum principium physice producens, sed etiam omnia prærequisita, sunt naturæ priora respectu termini producti: sic decretum per se applicativum omnipotentiae, ut ignis comburatur, licet non producat physice combustionem, est prius naturæ combustionem, quia constituit causam in actu primo proximo ad comburendum; atqui, licet comprincipia ad utramque libertatis partem non constituant causam in actu primo proximo ad producendam physice entitatem specificam actus extrinsece liberi, constituunt causam in actu primo proximo ad producendam entitatem actus extrinsece liberi ut liberi: ergo sunt priora naturæ actu extrinsece libero ut libero. Major, & consequentia tenet. Minor patet; quia actus extrinsece liberi, ut liberi prærequisit ex parte sui principii potentiam ad omittendum, live potentiam electivam, & dominativam; aliter actus non fieret liberè, neque esset extrinsece liber; ergo &c.

Conf. 1. Causa libera, ut libera in actu primo, non solum stat in virtute physice productiva, sed in virtute productiva ad utrumque expedita; libertas enim definita ab Ecclesia contra Janenium, ut supra latè vidimus, non solum est libertas à coactione, sed libertas à necessitate; ergo causa libera ut libera in actu primo constituta dicit ex una parte virtutem physice productivam, & ex altera parte requisita eam ad utrumque expedientia: atqui notum id, quod dicitur causa libera, ut libera, prout in actu primo constituta est prius, à quo effectu libero, ut libero, cum totum id se habeat ex parte actus primi, & effectus ex parte actus secundi; ergo virtus physice productiva, & requisita illam ad utrumque expedientia sunt priora à quo effectu libero, ut libero; ergo cum actus liberi, ut liberi, & omisso libera, ut libera sint effectus voluntatis ad utrumque expeditus, virtus & requisita erunt priora à quo effectu libero, ut libero: ergo cum ad actum liberum ut liberum, atque ad omissionem liberam, ut liberam requiratur in sententia, adversariorum cognitio alliciens, & retrahens, decretum applicativum omnipotentiae, & id genus alia, licet ista physice non producant actum, erunt nihilominus priora à quo eo actu.

Conf. 2. Si actus sit intrinsece liber, exigat sui productionem principium in actu primo proximo constitutum indifferens ad utrumque, ac proinde omnia requisita constitutiva actum primum proximum ad utrumque indifferenter constituent causam liberam in actu primo proximo; cumque prioritas naturæ sumatur ex toto constitutivo causæ respectivè ad effectum, virtus producens, & omnia ea requisita erunt priora prioritate naturæ respectivè ad effectum intrin-

interfere liberum. Si verò actus sit extrinsecus liber, habet in se duplicem capacitatem: prima est capacitas, ut producat à voluntate quando est destituta principiis ad omittendum: altera est capacitas, ut producat à voluntate, quando est praeventa comprincipiis ad omittendum pro libito suo talem actum. Unde, ut actus ille producat secundum capacitatem, quam habet, ut necessarium fiat, non requirit comprincipia ad utrumque; sicque non est posterior naturam comprincipiis ad utrumque; at verò, ut producat secundum capacitatem, quam habet, ut liber fiat, requirit comprincipia ad utrumque, sicque est posterior naturam comprincipiis ad utrumque; ergo actus extrinsecus liber, ut liber, supponit pro priori naturam comprincipia ad utrumque; ac proinde est posterior naturam comprincipiis ad utrumque.

332. Tertium, quod in ea notatione prima docet adversarius, est principium constitutivum libertatis non debere esse necessario coniungibile cum utroque libertatis extremo, sed sufficere, quod pro libito voluntatis possit impediri, ut voluntas amovendò liberè à se illud comprincipium se coniungat pro libito suo cum omissione. Tertia suppositionis pars vera est, si sermo sit de actu solum mediaturè libero, v.g. de actu imperato; qui solum impediri potest liberè per libertatem actus imperantis, à quo dependet; vel de principio per accidens, quod solum evitari potest liberè per libertatem immediatam actus immediatè liberi, à quo dependet. Ratio est, quia, quando voluntas est in signo indifferentiae ad actum imperantem, & imperatum, est libera ad imperatum; & tamen in eo signo habet actum imperantem, qui est principium imperati, quin hoc obstat libertati, eo quod pro libito suo posset habere omissionem imperantis, & exinde omissionem imperati.

333. Pariter, quando voluntas est in signo indifferentiae ad actum, & omissionem, non habet omissionem, quae requiritur ad impediendum principium per accidens, sive praedefinitionem actus, & tamen est libera ad impediendam praedefinitionem: quia omnia, quae pendent ab actu, vel omissione immediatè libera, potest voluntas liberè impedire impediendò actum, vel omissionem immediatè liberam; manet enim illi duplex libitus utriusque libertatis extremi immediati, ponibilis, vel non ponibilis pro libito suo; ac proinde impediendò actum potest impedire quae pendent ab actu; & impediendò omissionem potest impedire quae pendent ab omissione. Quapropter loquendò de actu mediaturè libero, vel de principio per accidens, est vera haec tertia suppositionis pars.

334. Si autem sermo sit de principiis per se, & actu immediatè libero, est illa suppositio falsa, implicatoria, & chimerica. Ratio est, quia voluntas immediatè libera, non potest habere, nisi libitum actus immediatè liberi, vel libitum omissionis immediatè liberae; atqui per

libitum actus, sive per actum immediatè liberum, ut liberum, nequit acquirere principium per se requisitum ad eliciendam liberè omissionem, neque econtra; ergo si deficiant principia per se requisita ad efficiendum immediatè liberè actum, vel ad eliciendam immediatè liberè omissionem, nequit voluntas pro libito suo acquirere ea principia per se. Major, & consequentia manifestae sunt. Minor verò patet; quia principium per se requisitum ad efficiendum effectum, nequit acquiri per effectum, sed debet ad effectum praesupponi.

335. Quod exemplis facile ostenditur. Potentia enim visiva, quae est principium per se visionis, nequit acquiri per visionem: sed ad illam debet praesupponi: & alae, quae sunt principium per se requisitum ad volandum, non possunt acquiri per volatum, sed ad illum debent praesupponi. Deinde neque per omissionem potest acquiri principium per se ad efficiendum effectum, aut econtra; sic per non volatum non possunt acquiri alae ad volandum; sed debent praesupponi, ut non volatus sit liber; ergo principium per se requisitum ad actum, nequit acquiri per actum; neque principium per se requisitum ad omissionem potest acquiri per omissionem; ergo si voluntas non habeat omnia principia per se requisita ad efficiendum immediatè liberè actum, vel immediatè liberè omissionem, nequit pro libito suo acquirere ea principia. Patet haec ultima consequentia; quia voluntas immediatè libera non potest habere, nisi libitum actus, vel libitum omissionis: atqui neque per actum, neque per omissionem actus, potest acquirere principia per se requisita ad eliciendum actum, vel omittendum; ergo si non habeat principia per se requisita ad eliciendum actum immediatè liberum, vel omissionem, voluntas nequaquam potest ea principia acquirere pro libito suo.

336. In secunda annotatione tria supponit etiam adversarius. Primum, ex Dei lege infundi gratiam adultis dependenter ab illorum dispositione; parvulis verò independenter à dispositione illorum, quod verum est. Secundum, gratiam conservari ex eo praecise, quod non sit peccatum; ac proinde nullam requiri dispositionem ad gratiae conservationem. Haec secunda pars vera est, quando Deus non praecipit, quod ponatur aliquid ad non peccandum: falsa autem, quando Deus praecipit, quod ad non peccandum ponatur aliquid; tunc enim gratiae conservatio pendet ab eo, quod praevideatur positum id, quod Deus praecipit. Ratio est, quia cum Deus, ut supponimus, non possit conservare gratiam in consortio peccati, si nos sumus liberi ad peccandum, & non peccandum, sumus etiam liberi, ut Deus conserve, vel non conserve gratiam; ac proinde conservatio gratiae pendet ab eo, quod non ponamus peccatum: atqui tunc non datur alius modus non ponendi peccatum, nisi ponendò id, quod Deus praecipit; ergo tunc conservatio gratiae pendet

pendet tanquam à dispositione, vel praequisito ab eo, quod ponatur id, quod Deus praecipit. Hinc falsum est tertium, quod ibi supponit iste Recentior, nimirum in casu nostro positionem actus praeepti non esse priorem conservatione gratiae.

337. Ratio autem clarissima est; quia Deus non potest conservare gratiam in consortio peccati, & habet legem de ea conservanda, si non sit peccatum; ergo si sumus liberi ad peccandum, sumus quoque liberi ad impediendam conservationem gratiae: & si sumus liberi ad non peccandum, sumus quoque liberi, ut supposita Dei ea lege, conservetur gratia; ergo conservatio gratiae in casu libertatis pendet ab eo, quod non fiat liberè peccatum: atqui in casu nostro non est alius modus excludendi peccatum, nisi ponendò liberè actum praeeptum; ergo conservatio gratiae à nostra voluntate dependet, prout dependet à nostra voluntate liberè ponere actum praeeptum; ergo positio actus praeepti est prior naturà conservatione gratiae. Probat. haec ultima consequentia. Non ideo fit liberè actus praeeptus, quia conservatur gratia; aliter non penderet à nobis conservatio gratiae, sed econtra ideo in hac Dei lege conservatur gratia, quia fit liberè à nobis actus praeeptus, sed in eo stat, quod actus praeeptus sit prior naturà conservatione gratiae; ergo &c.

338. Conf. Ideo scientia media est posterior naturà consensu libero conditionato, & scientia visionis est posterior naturà consensu libero absoluto, quia consensus conditionatus taliter est praequisitus, ut Deus proximè potens elicere actum scientiae mediae, ut non valeat illa causalis: ideo datur consensus conditionatus, quia praecedit in Deo scientia media: sed contra, ideo Deus elicit actum scientiae mediae, quia datur ille consensus conditionatus. Pariter scientia visionis est posterior naturà consensu absoluto, quia non valet ista causalis; ideo datur consensus absolutus, quia datur in Deo scientia visionis: sed contra, ideo Deus elicit actum scientiae visionis; quia datur consensus absolutus: atqui in nostro casu supposita Dei lege de conservanda gratia, dummodo non sit peccatum, non valet ista causalis; ideo non est peccatum; quia Deus conservat gratiam: sed contra valet ista; ideo Deus conservat gratiam, quia non est peccatum; ergo conservatio gratiae est posterior non esse peccati: atqui in isto casu non aliter deficit peccatum, nisi prout datur actus praeeptus; ergo positio actus praeepti est prior naturà conservatione gratiae.

339. In tertia notatione tria supponit etiam adversarius. Primò. Requirit duo instantia ad praesentem controversiam. Ego eandem invenio difficultatem in uno ac in duplici instanti. Ceterum, quia duo instantia intendit adversarius, nos etiam in eo sensu loquemur. Secundò. Supponit actum praeeptum non esse priorem naturà conservatione gratiae. En

quomodo ex veris jam transit ad falsa. Haec enim pars falsissima est, ut constet à num. 331. & 337. Tertiò. Supponit, vel insert ex ea suppositione dari disparitatem inter influxum gratiae, & physicam praemotionem; quia conservatio gratiae dependet à libertate voluntatis: secus autem praemotio. Ceterum hoc etiam falsissimum est; quia, ut constet à num. 337. Conservatio gratiae in eo instanti ab eo pendet, quod detur in ipso instanti actus praeeptus: atqui per actum praeeptum nequit liberè conservari in eo instanti principium per se requisitum, & praesuppositum ad illum efficiendum, qualis est gratia; causa enim, quae ut conservata producit effectum, non potest liberè conservari per suum effectum in instanti operationis, sed ad operationem supponitur in eo instanti: sic potentia visiva eliciens visionem in instanti A, nequit conservari liberè per visionem instanti A, eò quod supponatur in eo instanti existens, aut conservata ad eliciendam visionem.

Conf. Ex eo, quod physica praemotio requisita, ut Petrus eliciat consensum, sit principium per se consensus, nequit liberè per consensum conservari: sed ad consensum potius debet praesupponi; ergo ex eo, quod gratia habitus requisita ad eliciendum actum praeeptum, sit principium per se actus praeepti, nequit liberè conservari per actum praeeptum: sed ad actum praeeptum debet praesupponi; ergo sicut non est in manu voluntatis conservare physicam praemotionem in instanti, in quo voluntas cum physica praemotio operatur consensum; ita non est in manu voluntatis conservare gratiam in quo voluntas cum gratia operatur actum praeeptum; ac proinde inter gratiam, ac physicam praemotionem quoad hanc partem nulla manet disparitas. Ex eo facile apparet, quo in sensu sint verae, atque admittendae, & quo in sensu sint falsae, atque repellendae illae adversarii adnotationes.

Deveniamus jam ad examinandas novem observationes, quas pro eadem sententia defendenda promittit alter Recentior supra laudatus. Observat enim. 1. Destructionem talis gratiae esse ipsum peccatum. Hoc quidem est verum de destructione radicali, quia peccatum exigit, quod Deus destruat gratiam; at est falsum omnino de determinatione formali; nam haec stat formaliter in cessatione conservationis gratiae: conservatio quippe formalis, utpote continuata productio stat in actione conservativa, quae Deus gratiam conservat: unde formalis destructio gratiae stabit in cessatione à tali conservatione. Nec refert, quod in sententia adversarii gratia, & peccatum contradictione opponantur; ideoque gratia sit non esse peccati, & peccatum sit non esse gratiae. Ratio est, quia, licet gratia sit non esse peccati, conservatio formalis gratiae non stat in non esse peccati, sive in gratia, sed stat formaliter in actione conservativa; ergo licet peccatum sit non esse gratiae, destructio formalis gratiae non stabit in non esse gratiae.

gratiae, sive in peccato, sed stabit formaliter in cessatione à tali conservatione.

342. Observat secundò, destructionem formalem gratiae relictam esse in manu voluntatis, prout in manu voluntatis est peccatum. Tertiò, Deum velle conservare illaesa jura libertatis creaturae, prout confert gratiam pro libito voluntatis amissibilem. Istaè duae observationes verae sunt; sed tamen ex ijs inferitur, gratiam, ut lis est, non posse influere in actum praeceptum; quandoquidem non esset pro libito voluntatis amissibilis, ut constat à n. 339. Observat quartò, decretum divinum circa gratiam sanctificantem triplicem habere tendentiam formaliter distinctam. Prima est, qua Deus decernit efficaciter conditionatè primò infundere gratiam sub conditione Baptismi in parvulis, & propriae dispositionis in adultis. Secunda, qua efficaciter absolute decernit non destruere gratiam proprio motu, & independenter ab omni creaturae operatione. Tertia, qua efficaciter absolute vult gratiam semel datam conservari. Haec vera sunt; at timeo, ne fiat ex eis transitus ad falsa, ut infra constabit. Quapropter addo in secunda tendentia, qua Deus decernit non destruere gratiam independenter ab omni operatione creaturae, reperiri aliam tendentiam conditionatam, qua decernit destruere gratiam, si detur operatio prava, scilicet peccatum.

343. Observat. 5. Destructionem gratiae esse liberam creaturae, secus autem gratiae conservationem: quia destructio gratiae est peccatum, quod est liberum creaturae: at operatio bona, quae libera est creaturae, non est gratia; proindeque conservatio gratiae non est libera voluntati. Haec observatio falsissima est; quia juxta praesentem Divinam Legem, si detur operatio bona, conservabitur gratia: ergo libertas ad operationem bonam in hac Dei Lege est libertas ad conservationem gratiae. Ad eum planè modum, quo merita nostra non sunt vita aeterna, neque regnum caelorum: at supposita Dei Lege de conferenda nobis vita aeterna, & regnò caelorum, si liberè apponamus merita, per libertatem, quam habemus ad ponenda merita, habemus libertatem ad obtinendam vitam aeternam, & regnum caelorum: Pariter, licet nobis non debeat lux; at existente luce sumus liberi ad videndum, & non videndum; ergo licet praesens Dei lex non sit debita nobis: at ex suppositione illius sumus liberi ad gratiae conservationem.

344. Observat. 6. In casu dilectionis praeceptae, si detur omissio libera, talem ommissionem non esse priorem, vel posteriorem gratiae expulsiōne; cum sit ipsamet expulsio, quae respectu sui nequit esse prior, vel posterior. Haec tamen observatio falsa est ex n. 341. Observat. 7. Deum non dirigi ad destruendum gratiam ex scientia visionis peccati existentis: sicut nec dirigitur ad concurrendum cum creatura in actu secundo ad operationem ex scientia visionis operationis existentis. Haec autem paritas nul-

la prorsus est; quia ipse concursus creaturae in actu secundo est concursus Dei: Peccatum autem, ut supra diximus, non est formalis destructio gratiae; etenim, si Deus, ut absolute potest, destrueret gratiam, quin daretur peccatum; daretur formalis destructio gratiae, & non daretur peccatum; sicut, si per condonationem extrinsecam destrueret peccatum, non daretur gratia, & daretur destructio peccati; ergo peccatum non est formalis destructio gratiae.

Observat. 8. Actum praeceptum non esse priorem conservatione gratiae. Haec observatio est falsa, ut constat ex n. 337. Observat. 9. Deum non dirigi ad conservandam gratiam ex scientia visionis actus praecepti, sed ex decreto explicato n. 342. Haec autem observatio planè est falsissima; quia ex decreto illo non conservatur gratia, nisi casu, quo non sit peccatum; sive casu, quo sit actus praeceptus; quandoquidem ejus ommissio peccatum est; ergo scientia de actu praecepto praedit conservationem. Ceterum haec omnia clariora fient, quando Adversariorum responsiones latè infra impugnabimus.

SECTIO II.

Impugnatur proposita sententia.

A Rguo sic: ut voluntas sit libera ad actum praeceptum, requiritur, quòd pro signo prior ad actum sit potens ad ommissionem; si enim non possit omittere, neque poterit liberè efficere actum, ut ex terminis patet, & satis declaravimus tota disputatione 8. à n. 254. atqui si gratia esset principium per se actus praecepti, ut lis est, voluntas pro signo prior ad actum non esset potens ad ommissionem; ergo non esset libera. Prob. min. pro signo prior ad actum non potest voluntas elicere ommissionem; ergo non est potens ad ommissionem. Prob. ant. pro signo prior ad actum habet voluntas gratiam, quae est principium per se actus, essentialiter impossibile cum ommissione; sed, quando voluntas pro signo prior ad actum habet principium per se actus, essentialiter impossibile cum ommissione non potest elicere ommissionem, ut patet in physica praemotione; ergo &c.

Resp. Adversarij 1. Ad libertatem non requiri potentiam simul expeditam ad actum, ejusque ommissionem; sed sufficere potentiam proximam ad actum, & remotam ad ommissionem; si haec sit imputativè proxima, qualis est in casu actus praecepti. Ratio eorum est, quia potentia imputativè proxima est illa, quam voluntas potest habere pro libito suo; cum autem voluntas in instanti, in quo elicit actum, potuerit pro libito suo illum non elicere, potuit habere pro libito suo potentiam proximam ad ommissionem: Hec autem indifferentia ad habendam, vel non habendam potentiam proximam ad actum, vel ommissionem pro libito suo, est de essentia libertatis: secus autem indifferentia simul proxima, ut eliciat actum, vel ommissionem. Pulcher sanè verborum lusus, atque pulchrior

peritio principij. Evicimus enim ratione à nobis confecta, voluntatem non esse liberam ad omissionem; quia est necessitata ad actum, & non expedita ad omissionem. Responderetur autem, non esse proximè expeditam ad omissionem; esse tamen liberam, quia pro libito suo poterat esse proxima ad omissionem. Hæc inquam est pura peritio principij; nam si voluntas est necessitata ad actum, non potest pro libito suo esse proxima ad omissionem; proindeque, dummodo non reddatur ratio ulla explicans, quomodo possit esse tunc voluntas expedita ad omissionem, nulla alia responsio adducitur, nisi pura peritio principij.

348. *Contrà deinde 1. In instanti, in quo voluntas, instructa gratiâ justificante tanquam principio per se, elicit actum præceptum, non potuit elicere liberè omissionem; ergo non potuit habere pro libito suo potentiam expeditam ad omissionem. Prob. ant. In instanti, in quo voluntas elicit actum præceptum, nullum habere potuit libitum, medio quo posset obtinere potentiam proximam omittendi; ergo &c. Prob. ant. si aliquod esset libitum, vel esset libitum actûs, vel libitum omissionis: nullum enim est aliud libitum voluntati possibile in eo instanti; atqui non potest habere potentiam proximam omittendi per libitum actûs; cum ad eliciendum actum prærequiratur gratia, quæ apud Adversarios repugnat cum potentia proxima omittendi. Neque illam habere potest per libitum omissionis: per omissionem quippe non potest acquiri potentia proxima omittendi, quandoquidem per effectum non acquiritur causa: sed hæc potius præsupponi debet ad effectum: sic potentia visiva nequit acquiri per visionem: sed præsupponi debet, ut fieri possit visio; neque intellectus acquiri potest per intellectiorem, sed debet præsupponi, ut fieri possit intellectio, & sic de reliquis; ergo &c.*

349. *Contrà 2. In instanti, in quo voluntas elicit actum præceptum, non potest acquirere potentiam proximam ad omittendum per ipsum actum; cum ad actum præcedat sua potentia proxima constituta per gratiam; ipsaque gratia per actum conservetur: potentia autem proxima constituta per gratiam, atque ipsa gratia conservata repugnat apud Adversarios cum potentia proxima omittendi, quæ includit carentiam gratiæ. Rursus potentia proxima ad omittendum, nequit acquiri per omissionem, ut constat ex n. superiori. ergo non potest voluntas in eo instanti acquirere pro suo libito potentiam proximam ad omissionem: aliter assignandum foret in eo instanti aliud libitum præter libitum actûs, & libitum omissionis, quod, ut ex terminis patet, esset chymæra.*

350. *Contrà 3. Explicaturque ulterius ratio præcedens. In instanti, in quo voluntas instructa gratiâ justificante tanquam principio per se, elicit actum præceptum, non est libera ad omissionem; ergo non potest habere pro libito suo potentiam proximam omittendi. Prob. ant. In*

eo instanti habet voluntas potentiam proximam ad actum præceptum: nequit enim efficere actum præceptum absque potentia proxima ad illum efficiendum: atqui talis potentia proxima est impossibilis cum libertate ad omissionem; ergo &c. Prob. min. Talis potentia proxima includit omnia principia per se requisita ad actum præceptum; proindeque includit gratiam, quæ est unum ex principijs per se, & quidem essentialiter impossibile cum peccato est impossibile cum omissione actûs præcepti; ergo &c. Prob. min. Potentia proxima constituta per gratiam, non est libera voluntati in eo instanti, cum non habeatur ex suo libito, sed ad illud præcedat: proindeque voluntas nequit à se repellere gratiam in eo instanti: atqui, ut voluntas esset libera in eo instanti ad omissionem, necesse erat, quod posset repellere gratiâ impossibilem cum omissione; ergo &c.

Respondent Adversarij 2. Voluntatem non habere potentiam proximam in eo instanti ad omissionem pro libito suo; quia pro libito suo non omisit: si enim omisisset, non haberet gratiam, qua impeditur potentia proxima ad omissionem; unde licet gratia sit impossibilis cum omissione, nequaquam impedit libertatem, quandoquidem pro libito suo est à voluntate auferibilis. *Contrà tamen 1. Gratia non potest impediri à voluntate pro libito suo; ergo responsio Adversariorum falsa omnino est, & nulla. Prob. ant. si posset impediri à voluntate pro libito suo, maxime per libitum omissionis; sed per hoc non; ergo nullo modo potest impediri à voluntate pro libito suo. Major est fundamentum Adversariorum. min. verò prob. Voluntas independenter à gratia non potest liberè omittente; cum non possit liberè omittente, nisi sit etiam potens non omittente: quam potentiam habet per gratiam; sed ex eo, quod posset non omittente habeat per gratiam impossibilem cum omissione, non potest voluntas habere pro libito suo omissionem; ergo &c. Contrà 2. In casu actûs præcepti, non omittente est efficere actum. Atqui independenter à gratia, quæ est principium per se, voluntas non est potens efficere actum: ergo independenter à gratia non est potens non omittente: ergo, quando est potens non omittente, gratia præcedit libitum voluntatis cum essentiali impossibilitate cum omissione: ac proinde voluntas potens non omittente, nequit pro libito suo habere potentiam proximam ad omissionem.*

Respondent 3. Gratiam impediri posse liberè à voluntate, quia Deus habet decretum conservandi gratiam, dummodo non sit peccatum; cum autem in casu nostro solum possit dari peccatum per omissionem actûs præcepti, ex vi decreti divini conservabitur gratia, dummodo non deducatur omisso actûs præcepti; proindeque cum voluntas sit libera ad peccandum, omittendo actum præceptum, est quoque libera ad impediendum gratiâ; unde

Unde gratia est impedibilis, & auferibilis pro libito voluntatis. Neque requiritur gratia, ut ut fiat liberè omisio; nam gratia non influit physicè in omisionem, solumque debent præcepere ad omisionem principia in omisionem influentia, juxta doctrinam, quam dat Ribad. disp. 17. de actib. hum. Quapropter, licet non detur gratia, potest liberè voluntas omittere, & per omisionem impedire gratiam.

353. Non possum non mirari in re adeò difficili Adversarios contentos esse hac solutione; eò vel maximè, quòd pro se citent Ribadeneiram tanquam si dictum Ribadeneiræ esset irrefragabilis definitio Concilij, aut infallibile Scripturæ testimonium. Meminerint quæso, ipsos sæpe impugnare Ribadeneiram, quando ipsis non placet, atque desiderare solutionem argumentorum, quæ contra illum efformant, quin sit sufficiens solutio, respondere, eam esse doctrinam Ribadeneiræ. Idipsum nos dicimus, quando Adversarij pro solutione nostrorum argumentorum adducunt auctoritatem Ribadeneiræ. Insuper desideramus, quòd Adversarij attentè legant Ribadeneiram citata disp. 17. c. 1. & præcipuè à n. 8. ubi docet, principia ad utramque libertatis partem necessariò esse independentia ab exercitio cujuslibet extremis libertatis, ut libertatis jura maneat illæsa; proindeque gratia, quæ apud ipsos est principium per se actus, nequit juxta hanc doctrinam acquiri, aut impediri per omisionem actus. Quo ergo jure citant Adversarij pro sua sententia Ribadeneiram?

354. Contrà deinde 1. Voluntas in casu actus præcepti non est libera ad omittendum, si gratia sit principium per se actus; neque est libera ad peccandum per omisionem actus: ergo non potest impedire liberè gratiam per omisionem. Prob. ant. Voluntas non potest omittere liberè in instanti, in quo non potest non efficere actum; sed in instanti, in quo voluntas exercetur per actum, non potest non efficere actum; ergo &c. Prob. min. In instanti, in quo voluntas efficit actum, pro priori ad actum, & independentè à quolibet exercitio suo libero, præcedit gratia, quæ est principium per se actus: atqui in instanti, in quo præcedit gratia independentè ab ullo exercitio libero voluntatis, non potest voluntas liberè omittere; ergo &c. Consequentia tenet, & major patet: quia in eo instanti solum potest exerceri liberè voluntas per actum, vel per omisionem: cum ergo in instanti, in quo exercetur per actum, non exerceatur per omisionem, quicquid præcedit ad actum, præcedit independentè ab exercitio libero voluntatis. Quapropter gratia præcedens ad actum tanquam principium per se, præcedit independentè ab ullo exercitio libero voluntatis. Minor etiam est evidens; quia gratia est essentialiter impossibilis cum omisione; ergo in instanti, in quo præcedit gratia independentè ab ullo exercitio libero voluntatis, non potest voluntas liberè omittere.

R. P. Gormaz. Theolog. Tom. I.

Contrà 2. Si Deus conferat Petro physicam præmotionem, ut in instanti A eliciat actum charitatis, non poterit Petrus in eo instanti impedire liberè physicam præmotionem, omittendò liberè actum charitatis, ut Adversarii nobiscum docent; ergo si Petrus habeat potestatem proximam constitutam per gratiam tanquam per principium per se, ut eliciat in instanti A actum charitatis, non poterit in eo instanti impedire liberè gratiam, omittendò liberè actum charitatis. Probat. conseq. Ideo in eo casu non poterit Petrus impedire liberè physicam præmotionem, omittendò liberè actum charitatis, quia independentè ab omisione habet physicam præmotionem cum omisione essentialiter impossibilè: atqui etiam in eo instanti Petrus habet independentè ab omisione gratiam cum omisione essentialiter impossibilè; ergo &c. Maj. & conseq. tenent. Min. verò patet; quia omisio non conducit ad habendà, sed potiùs ad non habendà gratiam; tum quia non potest elici omisio liberè, nisi voluntas possit non omittere: atqui, si non præcedat gratia, non potest non omittere, quandoquidem in eo casu non omittere, est efficere actum, quem efficere voluntas non potest, si gratia non præcedat. Unde omnia argumenta, quæ in Tract. de Deo dedimus, & quæ in Tractat. de gratia dabimus contra physicam præmotionem, militant omnino in præsentem contra istos Recentiores.

Respondent 4. Potestatem proximam ad actum non obstat libertati, quamvis voluntas non possit componere cum illa potestate omisionem; neque per eandem omisionem impedire, aut repellere eam potestatem proximam jam semel suppositam pro eo instanti. Ratio eorum est, quia, cum ea suppositio existentia talis proximæ potestatis detur pro libito voluntatis, quandoquidem voluntas, si voluisset, potuisset eam impedire; exinde nequit ea suppositio officere libertati. Contrà tamen primò. Quia falsò supponitur in responsione, potestatem proximam ad actum impedibilem esse pro libito voluntatis; contrariù enim probabimus à n. 351. proindeque argumentis hucusque à nobis factis desideramus solutionem quam nondum Adversarii excogitaverunt.

Contrà 2. Si voluntas posset impedire pro libito suo talem potestatem proximam ad actum, vel esset in sensu composito talis potestatis, vel in sensu composito carentiæ illius potestatis, vel præcisivè à potestate proxima ad actum, & ejus carentiam; non enim est excogitabilis alius status, in quo voluntas considerari possit ab Adversariis libera; sed nullo ex his modis potest; ergo &c. Minor quoad primam, & secundam partem est certa, quia voluntas nequit componere impeditionem potestatis proximæ cum tali potestate, esset enim impossibilia componere; deinde non est libera ad impediendum, quod ante voluntatis exercitium impeditum jam esset, esset enim

Fff 2

libertas

libertas ad faciendum, quod non sit impeditum, quod impeditum est, quod planè est impossibile; atqui si voluntas esset libera ad impediendam potestatem proximam in sensu composito talis potestatis, esset libera ad componendam impeditionem potestatis proximæ cum tali potestate, & si esset libera ad impediendam talem potestatem in sensu composito carentiæ talis potestatis, esset libera ad faciendum, quod non sit impeditum, quod impeditum jam esset ante exercitium voluntatis; ergo nudè solum maner difficultas quoad tertiam partem.

358; Probatur igitur quoad tertiam partem. Si voluntas præcivè à potestate proxima ad actum, & ad ejus carentiam posset pro libito suo impedire talem potestatem proximam, maxime; quia potest liberè omittre, & sic impedire gratiam constitutivam talis potestatis proximæ, atqui non potest liberè omittre; ergo, major est unicuique fundamentum, quod juxta sua principia excogitare possunt Adversarii. Minor probatur. Voluntas sine potestate proxima, vel saltem remota ad actum, futura tamen proxima pro libito voluntatis non potest liberè omittre actum, ut certum est apud adversarios; atqui in ea præcisione à potestate proxima non est cum libertate remota ad actum futura proxima pro libito voluntatis; ergo &c. Prob. min. Voluntas prout est in illa præcisione à potestate proxima, & remota, nullum potest habere libitum, per quod habeat in sua potestate, ut potestas ad actum, quæ tunc præscindit à proxima, & remota, constitutur in ratione proximæ; ergo &c. Prob. ant. In eo casu solum est excogitabile duplex voluntatis libitum, nimirum actus & ejus omisio, libitum autem omisionis potius conducit ad impeditionem gratiæ, per quam talis potestas oritur proxima; libitum verò actus assignari non potest, ut voluntas constitutur potens proximè ad actum, cum actus jam supponat eam potestatem proximam ad ipsum; ergo &c.

359. Respondebis cum Munieffa, voluntatem; media conservatione gratiæ, posse reddere proximam eam potestatem præscindentem à proxima, & remota. Contrà tamen primò. Conservatio gratiæ, ut fatetur Adversarius, non est libitum voluntatis creatæ, sed actio Dei; ergo nequit voluntas per conservationem gratiæ, tanquam per libitum suum constituere in ratione proximæ illam potestatem præscindentem à proxima, & remota. Contrà secundo. Ut voluntas possit media conservatione gratiæ constituere proximam talem potestatem pro libito suo, necesse est, quod pro libito suo habeat conservationem gratiæ; sed nullum est assignabile libitum, medio quo voluntas habeat in sua potestate conservationem gratiæ; ergo &c. Prob. minor. Conservatio gratiæ haberi non potest per libitum omisionis, cum omisio essentialiter opponatur cum gratiæ conservatione. Rursus neque pro libitum actus, quandoqui-

dem ad efficiendum actum præsupponi debet gratia conservata; ergo &c.

SECTIO III.

Impugnatur ulterius eadem sententia.

Arguo sic. In instanti, in quo urget præceptum, vel conservat gratia dependenter ab exercitio voluntatis, vel nò? Si secundum, ergo necessario ponitur actus, cum gratia sit in eo instanti independens à libertate, atque essentialiter impossibilis cum omisione; si primum, ergo gratia conservatur dependenter ab actu præcepto, ac proinde actus præceptus est causa conservationis gratiæ, & prior à quo ut gratia conservetur. Rursus gratia ut conservata est prior à quo actu præcepto, cum sit principium per se actus præcepti; ergo sequitur mutua prioritas in eodem genere inter gratiam, & actum præceptum; hæc autem mutua prioritas manifestè repugnat; implicat enim, quod visio sit prior à quo potentia visiva ut conservata, & quod potentia visiva ut conservata sit prior à quo visione; & sic de reliquis, quæ se habent tanquam causa, & effectus, ea quippe de causa implicat, quod præmotio se habens ex genere causæ sit prior à quo effectu, & quod effectus sit prior à quo præmotione: aliter eodem jure, quo Adversarii defendunt influxum gratiæ, defenderent quoque physicam præmotiorem; sed hanc ipsi rejiciunt; ergo etiam debent rejicere suum influxum gratiæ.

Confirmatur. Quidquid se habet ex genere causæ ut necessarium ad existentiam effectus, est prior à quo effectu; sic cognitio necessaria ad illuminandam voluntatem, ut hæc suum actum eliciat, est prior à quo voluntatis actu: sic physica præmotio requisita ad explicandam voluntatem, ut poneretur effectus, esset prior à quo effectu; sic decretum Dei necessarium ad applicandam voluntati omnipotentiam, ut voluntas liberè possit elicere suos actus, est prior à quo voluntatis actibus, & sic de reliquis; ergo actus præceptus necessarius, ut ponatur conservatio gratiæ, erit prior à quo conservatione gratiæ. Rursus gratia ut conservata est prior à quo; actu præcepto, cum sit principium per se actus præcepti; ergo inter gratiam, & actum præceptum sequitur mutua prioritas à quo, sed hanc Adversarii non admittunt; ergo neque admittere possunt suum influxum gratiæ.

Responder primò Munieffa, in instanti, in quo urget præceptum, contingere posse, quod conservetur gratia, & contingere quoque posse, quod non conservetur. Cæterum, si gratia conservetur, inquit ipse, conservabitur pro libito voluntatis, hoc est, medio actu (qui est terminus sæpe ab hoc Auctore usuratus, & repetitus in hac materia) undè pro libito suo potest habere potestatem proximam ad actum constitutam per ipsam gratiam ut conservatam, cum-

que non obstat libertati principium illud, quod pro libito suo habet voluntas, gratia ut conservata non officiet libertati, quamvis conservata gratia ponatur actus; si autem gratia non conservetur, voluntas liberè omittit, quamvis seclusa gratia non possit poni actus, quia cum sit voluntati liberum non ponere actum, proindeque est voluntati liberum tunc omittere. Addit insuper, non sequi exinde mutuatam prioritatem inter gratiam, & actum, quia gratia conservatio non pender ab actu tanquam à requisito à priori, sed tanquam à requisito à posteriori; quemadmodum actio ponitur medio terminò, & causà connexa cū effectu ponitur medio effectu, cum illa connexo, quin actio pendeat à priori, sed tantum à posteriori à terminò, modo, quo causa connexa cum effectu non pender à priori, sed à posteriori ad effectum; non invenio in quo hæc responsio à Thomistarum doctrina distinguatur, quod ut evidens fiat,

363. Contrà primò, ideo gratia requisita tanquam principium per se ad efficiendum actum, quamvis sit impossibilis cum omissione per se non tollit libertatem, quia conservatur pro libito voluntatis nempe medio actu; atqui si nulla alia reddatur ratio, exinde physica præmotio non tolleretur libertatem; ergo &c. Probat. min. licet juxta Thomist. non sit in manu voluntatis directè habere, vel repellere physicam præmotionem, est tamen in manu voluntatis eam indirectè habere, vel repellere, quatenus in manu voluntatis est ad eam se disponere, eique resistere, vel non resistere, ita ut si homo se disponat, vel non resistat, acquirat præmotionem; si autem eam non acquirat, vel eam careat, ideo est, quia non se disponit, vel ei resistit. Lege Thomistas, evolve Magistrum Alvarez disp. 18. de Auxil. num. 20. Joannem à S. Thoma, aliòsq; Thomist. apud Gonet. tract. de Voluntate Dei disp. 5. art. 6. §. 1. à n. 131. & disp. 8. art. 4. §. 13. n. 254. & invenies eos ita respondentes; ergo si ab adversario non reddatur alia solutio, nisi quæ in allatis verbis sita est, præmotio non tolleretur libertatem. Contrà secundò, & explicatur eadem ratio, ideo hæc responsio Thomistarum impugnatur, & merito à nostris Auctoribus, quia licet ad puram omissionem apud plures Thomistas non sit necessaria præmotio, attamen apud omnes recentes Thomistas, est per se requisita ad quemcunque actum efficiendum, exindeque contra ipsos efformatur sic argumentum. Nequit voluntas liberè habere per non resistantiam, neque per actum, quo disponatur, physicam præmotionem; ergo nequit eam liberè acquirere. Prob. ant. ut voluntas liberè non resistat, requiritur, quod possit resistere, sive elicere actum resistendi, utque liberè se disponat, requiritur, quod possit efficere actum dispositionis; atqui per vos ad efficiendum actum resistantiæ, & actum dispositionis requiritur per se physica præmotio, scilicet ut applicans causam ad effectum efficiendum; ergo per non resistantiā, aut per dispositionē, ac-

quiri non potest liberè à voluntate physica præmotio. Prob. hæc ultima consequentia, quia ex eo, quod præmotio per se requiritur, ut voluntas liberè non resistat, vel ut liberè se disponat, est per se prior, quam non resistantia libera, & quam actus liber dispositionis; sed id, quod est per se prius, nequit acquiri per id, quod est per se posterius; ergo physica præmotio nequit liberè acquiri à voluntate.

364. Sic enim argumentantur nostri Auctores contra Thomistas post Exim. Doct. qui hic arguit contra ipsos lib. 1. de concursu Dei cap. 9. & lib. 3. de Aux. cap. 12. & 13. atqui juxta principia Adversarii hæc argumentatio nulla esset contra Thomist. ergo nulla esset ratio probans physicam præmotionem evertere libertatem. Probat. minor; licet conservatio gratiæ per se requiratur, ut voluntas possit efficere actum, per te potest conservatio gratiæ acquiri per actum, sicque est liberum voluntati habere gratiæ conservationem; ergo licet physica præmotio per se requiratur, ut voluntas possit ponere actum dispositionis, vel liberam non resistantiam, poterit tamen liberè acquirere physicam prædeterminationem per actum dispositionis, vel per liberam non resistantiam; ergo sicut propter hanc rationem gratia in sententia Adversariorum non tollit libertatem, ita propter eandem rationem physica præmotio libertatem non evertet; hoc autem ex animo rejicit Adversarius; ergo etiam tenetur rejicere suum influxum gratiæ.

365. Contrà tertio. En, ut manifestè appareat falsitas responsionis, utar exemplis ipsius Adversarii, ipsumque rogo, si aliquis te interrogaret, quomodo poteris habere causam connexam cum effectu ad producendum effectum, vel quomodo poteris habere actionem connexam cum actu ad producendā actionē. Responderes benè possum habere liberè hanc causam medio effectu, & illam act onem medio actu; nequaquam sanè; quod adeò lumine naturæ notum est, ut ulteriori non indigeat probatione, aliter increpari posset Recentior iste, quod non volaret, neque esset sufficiens satisfactio, respondere, quod non habet alas; nam licet alæ sint causæ per se volatūs, juxta tua principia potest acquiri causa per se per suum effectum; ergo etiam poteris acquirere alas per volatum; ergo si non volares, dignus esses reprehensione; hoc autem ipso naturæ lumine appareret imperceptibile; ergo & etiam tua responsio.

366. Vidit Adversarius hujus efficaciam, & similitum argumentorū, quæ contra ipsum efformavimus; ideoque antiquum istum modum respondendi dereliquit, & novum tenuit, qui revera mihi novus non videretur; sed ipse antiquus cum aliqua terminorum novitate. Quando enim urget adversarius quomodo voluntas omittens habeat in sua manu conservare gratiam in actu secundo? Responder non jam sicut antea medio actu; sed per potestatem non omittendi; unde si voluntas eliciat actum, liberè po-

nir illum, & si omittat, liberè etiam omittit, quia potestas non peccandi, vel non omittendi, quam habet voluntas omittens nullo antecedenter cogente ad omittendum, potestas est media, qua in actu primo habet homo in sua manu, stante Dei lege, habere media Dei conservatione gratiâ, & mediâ gratiâ actum supernaturalem præceptum; quibus omnibus caret tunc voluntas omittens, non ob aliam quidem rationem, nisi quia pro libito suo omittendò peccat.

367. *Contrà 1.* Voluntas non omittit potens mediâ conservatione habere gratiam, & mediâ gratiâ actum; ergo non omittit liberè. *Probat. ant.* Voluntas omittens non habet in sua potestate conservationem gratiæ, sive aliquid, medio quo habeat in sua potestate eam conservationem; ergo &c. *Probat. ant.* Si aliquid, haberet maximè potestatem non omittendi, sive non peccandi, quam habet voluntas omittens, mediâ qua in actu primo habet homo in manu sua, media Dei conservatione, gratiam, & mediâ gratiâ actum; sed hoc non; ergo &c. *Probat. min.* Voluntas peccans, sive omittens, non habet in sua manu juxta principia Adversarij non peccare, sive non omittre; ergo &c. *Probat. ant.* In eo casu non peccare, sive non omittre, est facere actum; sed voluntas non habet in sua manu facere actum; ergo &c. *Probat. min.* Voluntas non habet in sua manu facere actum, quando non posset habere pro suo libito principium per se requisitum ad efficiendum actum, nempe gratiam; sed non potest habere tale principium; ergo &c. *Probat. min.* Quia, ut sæpe jam diximus, tunc solum potest assignari voluntati duplex libitum, nimirum libitum omissionis, & libitum actûs; atqui per libitum omissionis non potest habere gratiam, cum omisio sit essentialiter impossibilis cum gratia; deinde neque potest habere gratiam per libitum actûs, aliter recurreres ad primam solutionem à nobis latè suprâ impugnata, & novissimè à te rejectam; ergo &c.

368. *Contrà 2.* In instanti, in quo urget præceptum, idem realiter est posse non peccare, & posse facere actum, sicuti idem realiter est actu non peccare, & actu facere actum, modò sic. Ex eo, quòd voluntas omittens posset facere actum, non ideo haberet in sua potestate conservationem gratiæ; ergo neque ex eo, quòd posset non peccare. *Probat. ant.* Ex eo, quòd voluntas faceret actum, non haberet per actum gratiæ conservationem; ergo neque ex eo, quòd posset facere actum, haberet in sua potestate conservationem gratiæ. *Probat. ant.* Casu, quo voluntas faceret actû, actus esset effectus gratiæ prout conservatæ in eo instanti, ac proinde posterior à quo gratia ut conservata; sed per id, quod est per se posterius, nequit haberi id, quod est per se prius, ut lumine naturæ notum est, & constat à num. 360. ergo ex eo, quòd voluntas faceret a-

ctum, non haberet per actum conservationem gratiæ.

Vidit maximam hujus argumeti vim alter Recentior, adeoque fateatur, hanc solutionem sibi non placere, respondens etenim argumento proposito, ait: *huic argumento difficile satisficit per dependentiam à posteriori gratiæ ab actu præcepto, ut suprâ monstravimus Contrà PP. Jesuitas.* Hucusque iste Recentior, quare, ut ipse ait, aliter responderet, fateor, Recentem istum hoc dicere, at verò intendens fugere, incidit in eandem solutionem, quam suprâ impugnavit, imò in eadem solutione admittit, quòd in ipsa rejicit, quòd, ut ostendam, & sic utriusque doctrinam simul impugnem, transcribam hic fideliter solutionem ab ipso traditam, quæ nunc subijcio.

Ejus verba: *Resp.* concedendò, gratiam non conservari dependentem ab actu præcepto, neque hunc positivè determinare illius existentiam, ut dixi observat. 5. Concedo etiam, gratiam stare non posse, quin efficiat actum præceptum, sed nego propterea leadi libertatem; nam, ut hæc salvetur, sufficit in manu voluntatis esse gratiæ executionem, & destructionem, nam eo ipso, quòd potest voluntas omittendò actû præceptum expellere gratiam, si ea gratia non expellitur, & destruitur, voluntati imputatur, & tribuitur gratiæ perseverantia, & conservatio, non quidem positivè, quia illam per aliquem actum casus, sed negativè, quatenus potuit eam expellere per omissionem peccaminosam, itaque, ut sæpe diximus, ut voluntas liberè eliciat actum præceptum in instanti A v.g. sufficit præcisè, non elicere ipsum pro eodem instanti. Cum verò positâ gratiâ in instanti A non posset voluntas non elicere actum præceptum, potuit tamen pro suo libito facere, quòd gratia in eo instanti non extiterit, illam nempe destruendò per omissionem peccaminosam, & sic non elicere actum præceptum. Inde est, quòd si gratiæ conservatio non dependeat ab actu præcepto, nec per illam determinetur, manebit libera libertas, dum destructio gratiæ, quæ est ipsa omisio peccaminosa, sit in voluntatis arbitrio. Hæc citatus Recentior.

In hac responsione manifestam invenio inconsequentiam sæpius repetitam, eandemque repetio solutionem rejectam & assumptam. Inconsequentia ex eo patet, quia docet, gratiæ non conservari dependentem ab actu præcepto, nec hunc determinare positivè illius existentiam; & simul docet, quòd voluntas posset omittendò actum præceptum expellere gratiam, & quòd, si non expellit, & destruit, voluntati imputatur, & tribuitur gratiæ perseverantia, & conservatio, iterumque reperit inconsequentiam dicens: non tribui voluntati positivè, sed negativè.

Ratio inconsequentiae est, quia voluntas non potest, destruere gratiam nisi per omissionem liberam, aliter omisio non esset peccaminosa, neque

neque destructiva gratiae; ergo, ut gratia non destruat pro libito voluntatis, requiritur, quod voluntas non omitat; sed tunc non datur aliud non omittere, nisi facere actum; ergo, ut gratia non destruat pro libito voluntatis, requiritur exercitium voluntatis positivo, ac proinde talis conservatio, sive perseverantia gratiae dependet ab exercitio positivo voluntatis; ergo dicere, quod si gratia non expellitur, aut destruitur, voluntati imputatur, & tribuitur gratiae perseverantia, & conservatio, & dicere, quod non tribuitur positive, sed negative, est inconsequentia.

373. Ex dictis apparet manifestè, Recentem istum assumere eandem solutionem, quam rejicit. Ratio est, quia ex una parte docet, gratiae conservationem nullatenus dependere, neque adhuc à posteriori ab actu præcepto, ex alia verò parte solvit argumentum dicens: non obstat libertati, quod gratia stare non possit, quin efficiat actum præceptum, quia in manu voluntatis est gratiae expulsiò, & destructio. In hac secunda parte assumit solutionem, quam in prima rejecit. Ratio est, quia non potest esse in manu voluntatis destructio gratiae, sive omisiò libera, quin sit in manu voluntatis talis non destructio, sive talis non omisiò, sed talis non omisiò, sive talis non destructio est actus præceptus; ergo nequit esse in manu voluntatis talis destructio libera, quin sit in manu voluntatis actus præceptus; ergo gratiam non destrui pro libito voluntatis pender ab actu præcepto, ac proinde non destructio, perseverantia; sive conservatio gratiae pender ab actu præcepto; ergo in hac secunda parte admittit iste Recentior solutionem, quam rejicit.

74. Contrà tamen 1. Sive sit eadem via, ut ipse judico, & probavi, sive diversa, qua solvitur argumentum allatum, uterque Recentior reddit solutionem, docens, gratiam connexam cum actu non obstat libertati, quia in manu voluntatis est, eam expellere, & destruere, sed hoc falsissimum est; ergo falsissima est etiam utriusque solutio. Probat. ant. Ut sit in manu voluntatis destruere gratià pro libito suo, requiritur, quod sit in manu voluntatis, eam pro libito suo non destruere; ergo &c. Prob. min. Ut sit in manu voluntatis gratiam pro libito suo non destruere, requiritur, quod sit in manu voluntatis non omittere; atqui non est in manu voluntatis non omittere; ergo &c. Probat. min. Non omittere est facere actum; sed non est in manu voluntatis facere actum; ergo non est in manu voluntatis non omittere. Probat. min. Voluntas non potest facere actum, quin conservetur gratia, sed non est in manu voluntatis, quod conservetur gratia; ergo &c. Probat. min. Neque est in manu voluntatis per libitum omisiònis, neque per libitum actus, ut constet ex dictis; ergo &c.

375. Contrà 2. Conservatio gratiae, ut fatentur

Adversarij, est actio Dei, non suspendenda secundum præsentem divinam legem, nisi propter peccatum, quod in præsentem est omisiò actus, ac proinde conservanda secundum eandem divinam legem per non peccatum; quod in præsentem est ipse actus; atque exinde arguitur, gratiae conservationem pendere à priori ab actu, ac proinde dari mutuam prioritatem inter actum, & gratiam ut conservatam; quandoquidem gratia etiam ut conservata est prior à quo ipso actu; ergo &c. Probat. min. Si gratia conservaretur ex eo, quod daretur actus, esset hæc vera causalis; ideo Deus conservat gratiam, quia datur actus; deinde etiam esset vera ista causalis: ideo datur actus, quia datur gratia, ut conservata; quandoquidem gratia, ut conservata, est principium per se actus; ergo &c.

SECTIO IV.

Impugnatur aliter eadem sententia.

Hucusque probavimus, non servari libertatem, quando voluntas vult actum præceptum, si gratia sit principium per se talis actus; nunc ostendemus, non stare libertatem, quando voluntas omittit actum. Sic arguo: voluntas non omittit cum potestate proxima ad actum, ut fatentur Adversarij, etenim, quando omittit, caret gratià, quæ apud Adversarios est constitutiva potestatis proximæ ad actum; ergo non omittit libere. Probat. consequ. Si omitteret libere, maxime, quia non habere gratiam, imputatur libertati, ac proinde carens liberè gratià, caret liberè actu, sicque liberè omittit; sed fundamentum istud est falsum; ergo. Probat. min. Non potest imputari voluntati, quod non habeat gratiam in eo instanti, quin imputari possit voluntati, quod illam haberet in eo instanti; sed voluntati imputari non potest, quod habeat gratiam in illo instanti; ergo &c. Probat. min. Si posset voluntati imputari, quod haberet gratiam in eo instanti, maxime, quia voluntas liberè posset non omittere, sive, quod idem est, elicere actum; sed non potest liberè elicere actum, cum non habeat gratiam ad illud eliciendum requisitam, & omisiòne impossibilem; ergo &c.

Confirmat. 1. Ut voluntas acquirat aliquod per omisiòne, requiritur, quod habeat id, quod essentialiter prærequiritur ad non omisiònem; sic, ut acquirat gloriam per meritum, requiritur, quod præhabeat auxiliū per se requisitum ad efficiendum opus meritorium; & ut acquirat terminum per actionem, requiritur, quod præhabeat auxiliū per se requisitum ad eliciendam actionem; atqui, quando voluntas omittit, non præhaberet gratiam per se requisitam ad non omittendum; ergo, quando voluntas omittit, non potest non omittere.

Confirmat. 2. Quando voluntas omittit, habet

habet pro signo priori actum primum proximum ad omittendum; nequit enim dari actus secundus, qualis est omisio, quin pro signo priori præcedat actus primus proximus, qualis est potentia proxima ad omittendum; atqui potentia proxima ad omittendum dicit carentiam gratiæ; ergo, quando voluntas est in actu primo proximo ad omittendum, habet carentiam gratiæ; atqui, quando voluntas habet carentiam gratiæ, non potest non omittere, cum non omittere sit facere actum, quem voluntas nequit facere sine gratia concurrente, ut principio per se, ad illum eliciendum; ergo &c.

378. Confirmat. 3. Voluntas omittens caret actu gratiæ, & conservatione pro libito suo, ut ajunt Adversarij, nempe pro libito omisionis; ergo potest non carere pro libito suo gratiâ, actu & consuetudine: assignent igitur hoc libitum Adversarij. Video assignare non posse aliud libitum, nisi non omisionem, non peccatum, sive actum, quod quidem in præsentem idem est realiter. Modò sic, atqui actus non est libitum, medio quo posset voluntas non carere pro libito suo gratiâ, actu, & conservatione; ergo &c. Probat. min. Ut detur actus, debet præcedere per nos in voluntate gratia, & conservatio cum gratia, ut conservata sit principium per se actus; ergo actus non potest esse libitum, medio quo posset voluntas non carere pro libito suo actu, gratiâ, & conservatione: sed, quod voluntas independentem à libito suo caret actu, gratiâ, & conservatione, necessario omittit; ergo &c.

379. Respondebis ex Muniſſa, potestatem non peccandi, quam habet voluntas omittens, potestatem esse, media qua in actu primo habet homo in sua manu retinere gratiam, media Dei conservatione, & mediâ gratiâ actuum. Optima fanè responsio; sed quæ magis auget, quam minuat difficultatem; quod sic ostendo. Per te voluntas non potest habere actum, quin habeat gratiam, neque gratiam, quin detur conservatio gratiæ; ergo, si non sit sub voluntatis potestate conservatio gratiæ, neque erit sub potestate voluntatis gratia, neque actus; atqui per te conservatio gratiæ nō est sub potestate voluntatis; ergo neque gratia, neque actus; sed, quando non est sub potestate voluntatis neque gratia, neque actus, voluntas omittens actum necessario omittit; ergo &c.

380. Confirmat. Conservatio gratiæ, & actus, ut patet ex responsione, servant inter se ordinem prioris, & posterioris, ita, ut conservatio sit prior gratiâ, & gratia prior actu, atque è converso actus posterior gratiâ, & gratia posterior conservatione. Unde, licet Adversarius dicat, voluntatem omittentem habere in sua potestate, mediâ gratiâ, actum, & gratiam media Dei conservatione; dum caret mediò, quo habeat in sua potestate conservationem, quæ est prior omnibus, nihil facit.

Ratio est evidens, quia, si non sit sub potestate voluntatis habere conservationem Dei, consequenter non erit habere sub ejus potestate, media conservatione, gratiam, & mediâ gratiâ actum; atqui, quando voluntas omittit, nullum est assignabile libitum, ratione cuius habeat sub ejus potestate conservationem Dei; ergo nullum est assignabile libitum, ratione cuius habeat sub ejus potestate gratiâ; atqui, si non habet in sua potestate gratiam, necessario omittit; ergo &c.

Si dicas, voluntatem media potestate, quæ habet ad non peccandum, habere in sua manu conservationem gratiæ, quia Deus habet legem de non cessando à tali conservatione, nisi propter peccatum, ac proinde habet legem continuandi in eadem gratiæ conservatione propter non peccatum. Contrà tamen 1. Talis potestas ad non peccandum est chymæra; ergo est responsio nulla. Probat. ant. Potestas ad non peccandum, in nostro casu, est potestas ad faciendum actum; sed hæc potestas tunc non datur; ergo &c. Probat. min. Potestas ad faciendum actum per se constituitur per gratiam; sed tunc voluntas non habet gratiam, cum actus primus proximus ad omittendum dicat carentiam gratiæ; ergo tunc non habet potestatem ad non peccandum.

Contrà 2. In sententia illorum Thomistarum, qui solum requirunt physicam præmotionem ad eliciendum actum, non verò ad eliciendam omisionem, voluntas omittens, nō omittit liberè, ut docet Adversarius contra Thomistas; ergo neque in illius sententia, quæ requirit gratiam ad efficiendum actum, licet eam non requirat ad eliciendam omisionem, voluntas omittens liberè omittit. Probat. conseq. Ideo in sententia Thomistarum voluntas non omittit liberè, quia non potest habere pro libito suo physicam præmotionem requisitam ad non omisionem, sive ad actum; atqui in nostro casu voluntas omittens nequit habere pro suo libito gratiam requisitam ad non omisionem, sive ad actum; ergo &c. Probat. min. Ideo voluntas nequit habere pro libito suo physicam præmotionem requisitam ad non omisionem, sive ad actum, quia est principium per se requisitum ad talem non omisionem, sive actum, & principium per se non acquiritur per suum effectum, sed ad illum præsupponitur; atqui gratia habitualis, est etiam apud Adversarios principium per se requisitum ad talem non omisionem, sive actum; ergo &c.

Contrà 3. quando voluntas omittit, caret simul conservatione gratiæ, potestate proxima, & actu. Rogo nunc. Quomodo potest habere hæc omnia? Respondebis, voluntatem his omnibus carere pro suo libito omisionis. Contrà tamen. Ut voluntas possit carere his omnibus pro libito aliquo suo, necessè est, ut pro alio libito suo possit illis non carere, aliter non esset libera ad eandem, & non

& non cendum illis pro suo libito. Rogo igitur Adversarios, ut assignent libitum, medio quo voluntas posset his omnibus non carere? Etenim, dum tale libitum non assignent, responsiones erunt verba, præterea nihil. Tale autem libitum inassignabile esse apparet: exinde, quod solum est excogitabile in eo casu duplex libitum voluntatis; nimirum omisio, & actus, ex quibus neutrum assignari potest, non quidem omisio, quia hæc potius ducit ad exclusionem actus, gratiæ, ejusque conservationis, quam ad horum positionem; non deum actus, quia ad actum gratia, & ejus conservatio jam debent præsupponi; ergo &c.

384. Arguo præterea, contra Adversarios, voluntas in sensu composito omnium principiorum non potest omittere; ergo necessario facit actum; ergo, quando caret principijs ad actum, necessario omittit; consequentiæ tenent, & antecedens patet. Nam voluntas in sensu composito omnium principiorum habet gratiam; sed posita gratia non potest omittere; ergo &c. Respondent Adversarij, gratiam connexam cum actu, non obitare liberati, quia est principium auferribile; si enim principium aliquod evitari potest à voluntate, quamvis ex natura sua connectatur cum actu, evitatio principij, mutatur ea connexio, ac proinde voluntas libera ad evitandam eam connexionem, est libera ad omitendum. Optima sanè responsio, si vera esset, & principij petitionem, simulque implicantiā in terminis non contineret. Quapropter

385. Contrà 1. Si gratia connexa cum actu per se necessaria ac faciendum actum esset principium auferribile, vitarique posset, maxime per omissionem; sed per istam non; ergo &c. Prob. mi. Principia per se necessaria ad efficiendum actum immediatè liberum, vel ad eliciendam omissionem immediatè liberā, debent dari independentè ab actu, & independentè ab omissione; ergo, si gratia esset principium per se ad faciendum actum immediatè liberum, deberet dari in voluntate independentè ab actu, & independentè ab omissione immediatè libera. Si enim independentè ab omissione non haberet voluntas principia per se ad faciendum actum, non posset non omittere, cum non posset facere actum. Pariter, si independentè ab actu non haberet voluntas principia per se ad faciendam omissionem, non posset omittere, cum non posset non facere actum, ut ex terminis constat; atqui posita gratia in voluntate independentè ab omissione, nequit in eo instanti auferrī per omissionem, cum in eo instanti dari non possit omisio, utpote peccaminosa, atque essentialiter impossibilis cum gratia; ergo &c.

386. Contrà 2. Physica præmotio requisita per se ad actum nequit liberè auferrī per omissionem; ergo neque gratia per se requisita ad actum posset liberè auferrī per omissionem. Prob. maj. ideo physica præmotio per se requisita ad actum inauferribilis est per omissionem, quia,

R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

ut liberè fieret omisio, debebat dari independentè ab omissione potentia ad non omitendum constituta per præmotioem; atqui etiam in nostro casu, ut liberè fiat omisio, debet dari independentè ab omissione potentia ad non omitendum constituta per gratiam; ergo, sicut per omissionem est inauferribilis physica præmotio, ita etiam gratia est inauferribilis per omissionem. Patet consequ. quia tam independentens est gratia ab omissione, quam præmotio, tamque connexa cum actu, quam ipsa præmotio; ergo, sicut præmotio, quia datur in instanti A, in voluntate independentè ab omissione, est inauferribilis per omissionem, ita pariter gratia.

Explicatur ulterius ratio nostra fundamentalis contra Adversarios; non potest Deus juxta Adversariorum principia conservare gratiam, ut fiat actus præceptus; ergo gratia non potest influere tanquam principium per se in actum præceptum. Prob. consequ. Si Deus posset conservare gratiam, ut fieret actus præceptus, vel ad decemendam conservationem gratiæ, dirigeretur à scientia visionis de actu existente pro posteriori, vel à scientia media de actu existente conditionatè, nimirum sub conditione gratiæ conservatæ, vel à neutra? Sed quidquid respondeant Adversarij, Deus non potest ab ulla scientia dirigi; ergo &c.

Respondes 1. Munieffa: Deum per scientiam simplicis intelligentiæ scire, se posse conservare gratiam in instanti actus factibilis liberè à voluntate cum gratia, & possibilis pro posteriori ad gratiam. Deinde per scientiam mediam scire hominem antecedenter justum, si veniat ad instans urgentis præcepti, non peccatum omitrendo actum, aut omitrendo gratiam, sed facturum cum gratia actum pro posteriori; tandem per scientiam visionis scire, hominem in eo instanti non peccare, sed facere cum gratia actum pro posteriori. Hinc docet, Deum dirigi ad conservationem gratiæ per tres distinctas scientias, sed proximijs per scientiam visionis assignatam.

Nota autem, duas in ea scientia visionis dari notitias distinctas eo modo, quo in Deo distinguuntur multæ cognitiones inseparabiles. Prima est, hominem non peccare. Secunda, hominem facere actum. Prima est negativa, & habet pro objecto peccatū; secunda est affirmativa, & habet pro objecto actum. Hæc secunda, quæ ex suo modo tendendi per se supponit actum fieri per gratiam, non dirigit Deum ad gratiam conservandam in eo instanti; prima verò sufficientissimè dirigit ad conservandam in eo instanti gratiam, nam, cum gratia non sit destruenda, nisi propter peccatum, sufficit notitia consequens, hominem in eo instanti non peccare, ut Deus gratiam non destruat, sed potius conservet, licet per impossibile ignoraret non fieri actum.

In hac solutione plura, & difficillima, & falsa continentur. Primò, Deum per scientiam

Ggg

simpli.

387.

388.

389.

390.

simplicis intelligentiæ scire, se posse conservare gratiam in instanti actûs factibilis liberè à voluntate cum gratia, ut lis est. Supponit enim falsò, quòd talis actus procedens à gratia fiat liberè. Contrarium enim probavimus à n. 346. ac proinde hæc libertas non deberet præsupponi, sed probari. Secundo supponit, etiam falsò, actum præceptum fluentem à gratia, ut lis est, tanquam à principio per se, esse liberum ex directione scientiæ mediæ. Probavimus enim suprâ à n. 311. non posse conservari illasam libertatem in casu nostro beneficio scientiæ mediæ. Tertiò supponit falsò, eas duas notitias, quas omninò inter se connexas vocat Adversarius, esse notitias de diverso objecto. Ratio est evidens, quia tunc non datur aliud non peccare, quàm facere actum; ergo notitia cognoscens non dari peccatum, cognoscit dari actum, & notitia cognoscens, dari actum, cognoscit voluntatem in eo instanti non peccare. Quapropter

391. Contrâ primò. Illæ duæ notitiæ non possunt distingui naturaliter, sed solum formaliter; atqui distinctio formalis insufficiens est, ut Deus dirigatur ex una notitia, & non dirigatur ex altera; ergo &c. Conseq. tenet, & min. constat ex Tractat. de Deo ex dictis, Maj. verò Probat. Una virtualitas cognitionis divini ob suam perfectionem cognoscit objectum omni modo, quo illud præsupponit cognoscibile, aliter modus ille cognoscendi, five virtualitas cognitionis diminuta esset, cum non adæquaret totam cognoscibilitatem objecti; atqui in eo instanti non est Petrus cognoscibilis ut non peccans, quin sit cognoscibilis ut faciens actum præceptum; aut econtrâ, cum in illo instanti, non peccare, & facere actum præceptum idem omnino sit; ergo eadem virtualitas, quæ cognoscit Petrum non peccare cognoscit etiam Petrum facere actum præceptum; ergo illæ duæ notitiæ, five formalitates non possunt distingui virtualiter. Contrâ secundò. In eo instanti Petrum non peccare, & facere actum præceptum idem omnino est; ergo non potest scientia cognoscere Petrum non peccare, nisi cognoscendò, Petrum facere actum præceptum. Contrâ tertiò. Scientia negans Petrum peccare utpote prudens, & rationalis aliquod morivum debet habere, sed non aliud, nisi, quòd Petrus facit actum; ergo scientia illa cognoscit, quòd Petrus facit actum.

392. Contrâ quartò. Per te scientia cognoscens Petrum facere actum, est posterior actû, eaque de causa nequit dirigere ad conservationem gratiæ prærequisitam, ut Petrus faciat actum; sed etiam scientia cognoscens, Petrum non peccare, est posterior actû; ergo &c. Probat. min. Ideo cognoscit Deus, Petrum non peccare, quia Petrus non peccat, & non econtrâ, quæ est ratio, qua cum S.S. P.P. probat tota Schola Societat. prioritatem nostrorum actuum respectu scientiæ visionis, ut in Tract.

de Deo vidimus; ergo scientia cognoscens Petrum, non peccare, est posterior non peccatò Petri, sed in eo instanti non peccatum est actus præceptus; ergo scientia cognoscens, Petrum non peccare, est posterior actû præceptò. Contrâ 5. scientia cognoscens, Petrum non peccare, cognoscit, quòd sit formalitè, Petrum non peccare, sed Petrum non peccare, est facere actum, ac proinde hæc notitia est posterior actû. Mirum est, quot vias quasièrint Adversarij ad effugiendam vim hujus argumenti, quas, ut facilius expendamus, & rejiciamus, sit

SECTIO V.

Responsiones Adversariorum rejiciuntur.

Respond. primò. Muniellâ, veritatem notitiæ negativæ, scilicet *homo non peccat*, ideo dari ante gratiam & actum, quia homo pro priori non peccat, ac proinde non peccat pro eo instanti, quomocumque sit, quando autem non peccat pro eo instanti, nullatenus peccat, ac proinde verum est, quòd non peccat antecedenter ad gratiam, & actum. Contrâ tamen primò. Pro signo priori ad actum, & omissionem, neque datur peccatum, neque datur non peccatum, sed datur præcisio ab utroque; ergo pro eo signo priori non est verum dicere, quòd homo non peccat, sed quòd præcindat à peccato. Probat. ant. Pro signo priori causæ liberæ, & indifferentis ad actum, & omissionem non est verum dicere, quòd pro eo signo datur actus, neque est verum dicere, quòd pro eo signo detur ommissio, sed solum est verum dicere, quòd pro eo signo detur præcisio ab actu, & omissione; five, quòd idem est, quòd pro eo signo datur indifferentia, ut pro signo sequenti ponatur liberè actus, si voluntas velit, & excludatur ommissio; vel ut liberè ponatur ommissio, & excludatur actus; ergo pro eo signo neque datur peccatum, neque datur non peccatum, sed præcisio ab utroque. Patet conseq. Quia in nostro casu peccatum est ommissio, non peccatum est actus; atqui pro eo signo non datur actus, neque ommissio, sed præcisio ab utroque; ergo pro eo signo non datur peccatum, neque datur non peccatum, sed præcisio ab utroque.

Contrâ secundò. Per te in illo signo non datur veritas notitiæ affectivæ, scilicet *homo facit actum*; ergo neque datur veritas notitiæ negativæ, scilicet *homo non peccat*. Probat. conseq. Ideo in eo signo non datur veritas notitiæ affirmativæ, *homo facit actum*, quia illud non est signum elicentiae actus, sed signum præcisionis, five indifferentiæ ad actum; atqui eodem modo illud signum non est signum non peccati, sed præcisionis, ac indifferentiæ ad peccatum, & non peccatum; ergo &c. Probat. min. Si pro signo sequenti po-

ti ponatur omisio, ponetur peccatum, si autem ponatur actus, ponetur non peccatum; ergo pro signo priori nequit dari omisio, neque actus, sed indifferentia ad utrumque, quæ vocatur præcisio ab actu, & omisione; ergo pro signo priori nequit dari peccatum, aut non peccatum, sed indifferentia ad utrumque, seu præcisio à peccato, & non peccato.

395. Contrà tertio. Veritas, ex qua Deus dirigitur ad conservandam gratiam, nequit esse veritas præscindens ab eo, quod in eo instanti detur gratiæ destructio, aut conservatio, sed veritas notitiæ negativæ, quæ est in priori signo, præscindit ab eo, quod in eo instanti detur gratiæ destructio, aut conservatio; ergo &c. Probat. min. Veritas notitiæ negativæ, quæ dari potest in priori signo, scilicet *homo non peccat*, non potest esse veritas includens carentiam peccati, sed solum est veritas præscindens à peccato, & ejus carentiâ, aliter non daretur signum indifferentiæ, aut libertatis ad peccatum, & non peccatum; atqui veritas præscindens in eo instanti à peccato, & ejus carentiâ, præscindit ab eo, quod detur in eo instanti gratiæ destructio, aut conservatio; ergo &c. Probat. min. Si detur in eo instanti peccatum, dabitur destructio gratiæ, si datur carentia peccati, dabitur gratiæ conservatio; ergo si detur præcisio à peccato & ejus carentia, præscindit ab eo, quod in eo instanti detur gratiæ destructio, aut conservatio.

396. Resp. secundò. Deum ad gratiæ conservationem in eo instanti non dirigi per scientiam visionis five affirmativam, five negativam, de qua supra; quia antecederet ad istas noticias potuit decernere conservationem gratiæ quantumvis essentialiter requirentis actum & vitationem peccati. Dirigitur Deus (ait Adversarius) per scientiam mediam, qua ante absolutam futuritionem actus præcepti noverat, actum fore ponendum per gratiam conservandam in eo instanti, si voluntati præhabenti gratiam, præciperetur actus, & darentur talia auxilia excitantia ad impletionem, qua notitia instructus Deus securissimè, & scientissimè ante supra dictam scientiam visionis potest decernere conservationem gratiæ præfiniendò actum præceptum, & decernendò ea auxilia, sub quorum conditione prænoverat Deus actum futurum, si poneretur; quemadmodum dicitur Deus ante absolutam prævisionem meritòrum decernere gloriam, ut coronam, essentialiter prærequerentem, imò, & præsupponentem merita.

397. Hæc responsio, quæ brevior, & facilius vocatur à suo Authore, brevius, & facilius impugnatur. Nam in responsione falsò supponit, quod illa scientia, qua Deus prævidet actum præceptum conditionatè futurum, sit scientia media. Ratio est, quia scientia media supponit principia per se indifferentia ad actum, & omisionem, sicuti ea præsupponit prædefinitionem ad gloriam, ut coronam; atqui gratia, quæ

est principium per se illius actus, non est indifferens ad actum, & omisionem, sed omnino determinata est, & connexa cum actu, si præcipiatur, & impossibilis cum omisione; ergo scientia videns, quod ponetur actus, si ponantur ea principia, non est scientia media: illa ergo scientia, est scientia simplicis intelligentiæ, quatenus cognoscit ponendum actum sub illis comprincipijs; si præcipiatur, & quatenus ea omnia possibilia videt; & est scientia visionis, quatenus ea vider posita. Vide, quæ diximus n. 311. ubi hanc expositionem latè impugnavimus.

Suprà laudatus Recentior aliter respondit 398. huic difficili argumento, parùm fidens in responsionem Muniesæ, docet igitur; Deum non dirigi scientia visionis, neque dirigi scientiâ mediâ, sed scientiâ simplicis intelligentiæ ad eliciendum decretum conservativum gratiæ, sicut dirigitur scientiâ simplicis intelligentiæ ad præparandum creaturæ concursum indifferenter, juxta dictâ observatione 9. præposita n. 344. En ejus verba: & sicuti tandem dices: Deum dirigi solâ scientiâ simplicis intelligentiæ ad præparandum concursum indifferenter, ita, ut finis talis præparationis sit bona operatio, & servare illâsam nostram libertatem, ita etiam dicam: Deum dirigi solâ scientia simplicis intelligentiæ conservabilitatis gratiæ ad illam conservandam, ita, ut finis decreti, ut conservabilis, sit, gratiam dare suos effectus justis, Sanctis, amici &c. nec non producere actus salutes simul cum anima. Finis verò decreti, ut destructivi gratiæ, sit, non lædere libertatem creatam, quæ læderetur, si Deus efficaciter absolute nollet unquam gratiam destruere, siquidem voluntas non posset gratiam remove, nec cum illa peccare. Hæc Adversarius. Cæterum paritas est à longè petita. Quare

399. Contrà 1. Licet concursus Dei, & concursus creaturæ idem ipsissimus sit, attamen non omisio libera creaturæ, & actio conservativa Dei sunt actiones valde diversæ; ergo, licet non debeat præcedere scientia visionis concursus creaturæ, ut detur concursus simultaneus Dei, non exinde benè deducitur ad solvendum argumentum, quod non debeat præcedere scientia visionis actionis liberæ creaturæ, ut detur actio conservativa Dei. Consequentia tenet, quia ille Dei concursus, & concursus creaturæ idem est ipsissimus, cum idem ad seipsum præsupponi non possit, neque concursus creaturæ præsupponi potuit ad concursum Dei, ac proinde neque præsupponi poterit scientia visionis concursus creaturæ ante Dei concursum. At verò ratio ista nulla est pro non omisione creaturæ, & conservatione Dei, si istæ actiones diversæ sint, quod autem sint diversæ, ut in antecedenti dicebatur; Prob. facile; non omisio libera creaturæ est actus creaturæ, conservatio gratiæ est actus solius Dei, sed actio creaturæ, & actio solius Dei

Dei sunt actiones valde diversae; ergo &c.

400. *Contrà 2.* Ex vi sui decreti non se obligat Deus ad conservandam gratiam semel concessam, ita, ut gratia semper in posterum conservanda sit; aliter non posset voluntas à se remove gratiam; Sicque libertas periret; Sed manet conservatio gratiae dependens ab aliqua libertate; atqui non manet dependens à libertate Dei, cum Deus efficaciter decernat, illam non destruere proprio motu; ergo manet dependens à libertate creaturae. Modò sic. Ut Deus in instanti B conservet gratiam collatam in instanti A requiritur, quòd voluntas in instanti B non impediatur libere gratiae conservationem; atqui voluntatem non impedire in instanti B libere gratiae conservationem, est libere facere actum; ergo, ut Deus in instanti B, conservet gratiam collatam in instanti A, requiritur, quòd voluntas in instanti B libere faciat actum; ac proinde prius est, quòd voluntas libere se exerceat per actum, quam, quòd Deus gratiam conservet. Major est certa, min. prob. quia voluntatem non impedire conservationem, est non omittere, & non omittere est facere actum; ergo &c. Consequentia enim est legitima; quia, si Deus non posset ponere gratiae conservationem, creaturae imputabilem, quin illa se exerceat per actum; Deus ad producendam actionem conservativam, creaturae imputabilem, praerequitur creaturae actum, sed, quia Deus praerequitur creaturae actum ad producendam actionem conservativam, creaturae actus est prior actione conservativa; ergo &c. Modò sic. Actio conservativa gratiae à solo Deo dependet à libertate creaturae; ergo dependet ab aliquo exercitio libero creaturae, non ab omissione, cum ommissio sit destructiva gratiae; ergo pendet ab actu; ergo, ut Deus exerceatur per actionem conservativam gratiae, debet praevidere creaturam se exercentem per actum, ac proinde Deus decernens conservationem gratiae, dirigatur ex scientia visionis actus, hoc autem manifestè repugnat, ut suprà probatum est; ergo &c.

401. Respondebis, Deum ad conservandam gratiam solà scientiā simplicis intelligentiae dirigere, nam ad conservandam gratiam sufficit, quòd creatura illam non destruat; sicuti ergo ad destruendam gratiam dirigatur ex scientia simplicis intelligentiae, ita ad non destruendam, sive ad conservandam; ratio omnium est; quia destructio formalis gratiae, est ommissio, quae simul est actio Dei, & creaturae, creaturae inquam est, ut peccantis; Dei verò, ut simultanéè cum creatura physicè concurrentis; quapropter destructio, qua creatura destruit gratiam, est destructio formalis, qua Deus gratiam destruit; unde, cum nulla res praecedat ad se ipsam, destructio, qua creatura destruit gratiam, nequit praecedere destructione gratiae procedentem à Deo, sicque solà scientia simplicis intelligentiae sufficit, ut diri-

gatur Deus ad destruendam gratiam, ex quo facile inferitur, Deum dirigere ex solà scientia simplicis intelligentiae ad conservandam gratiam; quia decretum habet conservandi gratiam, dumodo creatura illam non destruat.

In hac responsione multa invenio falsa, & quae maximè displicent. In primis falsum est, omissionem esse formalem gratiae destructionem, ut constat ex n. 341. Aliud enim est, ut Deus per suum decretum se obligaverit ad non destruendam gratiam, si creatura non omittat, & aliud est, quòd ommissio sit formalis destructio gratiae. Primum quidem est verum. Secundum autem est falsum. Sic, licet Deus per suum decretum se obligaverit ad non destruendam formam ligni, etsi essentialiter impossibile cum forma ignis, si non introduceret formam ignis, male exinde inferretur, quòd forma ignis esset formalis destructio formae ligni, sicut enim forma ligni non esset formalis conservatio sui, licet exigeret actionem Dei conservativam, quae est conservatio formae ligni, ita in ea lege Dei forma ignis non esset formalis destructio formae ligni, quia non esset formalis cessatio actionis Dei, sed terminus, cui essentialiter connexa est cessatio naturalis conservationis; pariter ergo in nostro casu, unde, licet in eo casu introductio esset prior expulsionem, ita in nostro casu ommissio esset prior gratiae destructione.

Confirmat. In formis defectu existentibus, sicut ommissio peccaminosa est essentialiter incompossibilis cum gratia, ita forma ligni, quae defectu datur, est naturaliter incompossibilis cum forma ignis; atqui conservatio naturalis formae ligni, sive, quam Deus ponit, ut Author naturae, est distincta ab ipsa forma ligni, & destructio naturalis est distincta ab ipsa forma ignis, quae introducit; nam introductio naturalis formae ignis est prior expulsionem naturali formae ligni; ergo & conservatio essentialis gratiae erit distincta ab ipsa gratia, & destructio essentialis erit distincta ab omissione; unde ommissio erit etiam prior gratiae destructione.

Contrà primò. Ut constat à n. 341. falso supponitur in responsione, omissionem esse formalem gratiae destructionem. *Contrà secundò.* Ut gratia maneat ommissibilis, non potest Deus decernere efficaciter absolute non destruere gratiam, quin relinquat libertatem voluntati ad illam destruendam; aliter gratia semel concessa esset indestruibilis à voluntate, quod est haereticum; ergo, ut Deus prosequatur conservare gratiam, requiritur, quòd voluntas antecederet ad conservationem, potens gratiam destruere, illam non destruit, sed, gratiam non destruere est facere actum; ergo, ut Deus prosequatur conservare gratiam, requiritur, quòd voluntas antecederet faci- at actum; sed ex eo, quòd Deus, ut prosequatur conservare gratiam, requiritur, quòd voluntas antecederet faci- at actum, non potest Deus dirigere

dirigi ad conservandam gratiam à scientia simplicis intelligentiæ, sed requiritur scientia miraculosa, vel scientia visionis actûs, quod Adversarius inficiatur; ergo &c.

405. Confirmar. ad hominem. Si Deus posset dirigi solâ scientiâ simplicis intelligentiæ ad gratiæ destructionem, maximè, quia omissio actûs simul procedens à Deo, & creatura, esset formaliter opposita contradictoriè cum gratia; proindeque posita eâ, formaliter non esset gratia, sicut, quia actio creaturæ est actio Dei, posita actione formali creaturæ, ponitur actio formalis Dei; sed hoc est falsum; ergo &c. Major est fundamentum Adversarij, ut ipse fatetur observat. prima. Min. verò probat. Prædicata formaliter contradictoriè opposita sunt esse, & non esse; atqui omissio actûs præcepti, & gratia non sunt esse, & non esse; ergo &c. Probat. min. Esse, & non esse, ita opponuntur, ut non possit utrumque simul esse, & neque utrumque simul deficere; ideo enim contradictoriè opponuntur lux & tenebræ, quia nequit utrumque simul esse, aut simul deficere; etenim, si est lux, deficient tenebræ, si sunt tenebræ, deficit lux, atqui omissio actûs præcepti, & gratia non ita opponuntur; ergo &c.

406. Probat. min. Licet omissio actûs, & gratia non possint simul esse, attamen possunt simul deficere. Nam, ut Adversarius ipse fatetur observat. 5. præcepto non debetur essentialiter gratia, ac proinde potest absolute cōtingere, quod Petrus eliceret actum præceptum, & non haberet gratiam; atqui in eo casu deficeret simul in Petro omissio actûs præcepti, & gratia; ergo &c. Propter hanc rationem dixi in Philosophia, contradictoria verari quidem inter esse formale, & non esse formale rei; non autem inter non esse arguitivè; nam eadem forma v. g. ligni formaliter solum potest deficere, quia non est; licet illud non esse arguitivè procedat aliquando ab uno, aliquando ab altero sibi contrario, nimirum à defectu vel divinæ conservationis, vel à miraculosa destructione, aut conversione, vel ab igne naturaliter illam destruyente, quo in casu semper datur idem non esse rei formaliter consistens in eo, quod ea forma ligni non sit, licet non semper datur idem non esse arguitivum; cæterum de hoc alibi latius.

407. Contrâ quartò. Ideo ad Dei concursum nõ debet præcedere scientia concursus creaturæ, quia concursus Dei, & creaturæ sunt realiter idem, ideoque unus ab alio non pendet, pariter in nostris principiis ad scientiam visionis Dei de actu libero Dei absoluto, debet præcedere actus liber Dei absolutus, & ad scientiam mediam actus liber conditionalis, quia actus Dei, & scientia Dei non sunt idem, & aliunde in Deo datur ea scientia, quia in Deo datur actus, ut ab ipsa attingitur, & non e contra. Atqui etiam omissio actûs præcepti, & non esse gratiæ non sunt idem, ut constat ex

num. superiori, & aliunde datur in Petro non esse gratiæ, quia peccavit, non autem peccavit, quia dabatur non esse gratiæ; ergo &c. Probat. min. Si Petrus liberè non omittat, conservabitur gratia, si liberè omittat, non conservabitur, non e contra, quia, si gratia non est conservata, non potest non omittere, cum non omittere, sit facere actum, & actus fieri non possit, quin præcedat tamquam principium per se gratia conservata; ergo &c.

Contrâ quintò. Non minùs essentialiter implicat, imò & magis, quod simul existant, aut simul deficient omissio actûs liberi Petri, & scientia visionis talis actûs, quam ut simul existant, aut simul deficient omissio actûs præcepti, & conservatio gratiæ: modò sic; omissio actûs liberi Petri vel est non esse formale scientiæ visionis talis actûs, vel non? Si secundum; ergo, licet essentialiter implicent omissio, & conservatio gratiæ, non ideo omissio erit non esse conservationis gratiæ; si primum, arguo sic: licet omissio actûs liberi Petri, sit non esse scientiæ visionis talis actûs, attamen actus liber Dei non est scientia visionis talis actûs, sed est essentialiter prior scientiâ visionis illius; ergo, licet omissio actûs præcepti sit non esse conservationis gratiæ, attamen actus liber Dei non erit conservatio gratiæ, sed essentialiter prior conservatione gratiæ; minor in schola nostra est certissimâ; consequentia patet, quia conservatio gratiæ, & scientia visionis non sunt actus creaturæ, sed Dei actiones essentialiter cum actu connexæ; atqui scientia visionis, quia non est actio creaturæ, sed actio Dei connexa essentialiter cum actu, ut libertatem Dei non evertat, debet esse posterior essentialiter actu; ergo & conservatio gratiæ, quia non est actio creaturæ, sed Dei essentialiter connexa cum actu, ut libertatem non evertat, debet esse essentialiter posterior actu, ac proinde, ut datur conservatio gratiæ, debet præcedere, vel scientia media, vel scientia visionis actûs; Rursus conservatio est essentialiter prior, cum gratia, ut conservata, sit principium per se actûs; ergo &c.

Contrâ sextò. Omissio actûs præcepti etiam in sententia Adversariorum non est omne non esse gratiæ, sed solum est aliquid non esse liberum gratiæ à voluntate liberè inductum; sed tale non esse gratiæ à voluntate liberè inductum, non est ipsa formalis expulsio gratiæ procedens à Deo, sed prius per se expulsione formali gratiæ procedente à solo Deo; ergo, licet omissio procedens à creatura, aut scientiâ visionis illius non debeat præcedere ommissionem procedentem à Deo, attamen omissio procedens à creatura, & à Deo, debet præcedere ommissionem procedente à solo Deo; atqui scientia visionis illius debet præcedere expulsionem formalem gratiæ procedentem à solo Deo; ergo &c. Probat. min. creatura non cessat formaliter à conservatione gratiæ, sed solus Deus, neque actio, qua in instanti anteceden-

cedenti cōservabatur gratia, procedebat formaliter à creatura, sed à solo Deo; cum ergo cessare à conservatione gratiæ, sit inducere non esse gratiæ, Deus se solo formaliter cessat à conservatione gratiæ, se solo inducit formaliter non esse gratiæ; atqui tale non esse gratiæ est posterius omissione; ergo &c. Prob. minor Deus cessat à tali conservatione gratiæ, sive inducit formaliter tale non esse, quia creatura omittit, & non econtrà; ergo omisio est prior tali non

esse gratiæ, sive tali conservatione. Unde juxta mea principia, in quibus non esse formale rei non est aliquid ens reale diminutum, positivum, aut negativum, sed purum nihil, quod inducit non esse rei, melius explicatur per negationem, dicendò *rem tollere*, quam per affirmationem, dicendò *aliquid ponere*; sed de his in Philosophia; argumenta, quibus Adversarij utuntur; facilius dissolvemus infra.

DISPUTATIO XI.

EXPENDITUR TERTIUS DEFENDENDI MODUS.

410. **T**ertium modum defendendi influxum gratiæ in actum præceptum, ut lis est, amplectitur Esparza q. 6. de virtut. Theologicis ad 5. ubi explicans, quomodo homo præventus habitibus Theologicis, sit nihilominus liber ad actus vitij contrarios læthaliter peccaminosos, utitur exemplò hominis justi, qui liber est ad peccandum læthaliter, licet gratia sit impossibilis cum læthali, ex quo eandem cognoscit hic Author difficultatem respectu justitiæ, & gratiæ, proindeque respectu utrarumque eodem modo illam dissolvit. Esparzam secuti sunt aliqui Recentiores; an verò meliori fortunâ, quàm cæteri, quos impugnâvimus? expendendum est in præsentia. Pro quo sit

SECTIO I.

Proponitur, & impugnatur ista sententia.

411. **H**ec igitur sententia docet, hominem justum non intelligi liberum ad peccandum, quatenus præhabet gratiam in determinatione ad instans, in quo primum existit, aut existere potest proximè actus peccaminosus; sed quatenus præhabet gratiam pro instanti immediatè antecedenti, in quo est indifferens ad conservandam gratiam per exercitium ipsius gratiæ, vel ad destruendam per exercitium contrarium pro instanti sequenti, nam pro instanti antecedenti, puta A, est indifferens, ut per bonam operationem exerceat activitatem gratiæ, ipsamque ad sequens instans B transmittat per bonam operationem, sicque determinat gratiam, ut conservetur pro eo instanti B, vel, ut per contrariam pravam operationem exerceat aliud principium intentivum talis operationis, ita, ut per pravam operationem impediatur transitum gratiæ ad instans B, ejusque conservationem pro tali instanti. Quapropter gratia non est principium actûs boni, in instanti B, prout translata, & conservata in instanti B, sed sola entitas gratiæ, prout transferibilis, & conservabilis in eo

instanti, ita ut conservatio pendeat ab actu bono, & destructio ab actu malo.

In quo (ait Esparza) nullum est inconveniens, sicut nullum est inconveniens in eo, quòd quis, quatenus existens in spatio A, sit indifferens ad transeundum in spatium immediatum B, ita, ut prima determinatio ad transeundum in spatium B, & ad existendum in eodem sit ipsa actio transitiva, præsupponens suum principium determinativum pro priori naturæ ad existendum in spatio A, & indifferens ad existendum in spatio B, & consequenter ad conservandam, & omittendam priorem ubicationem determinativam formaliter ad spatium A. Hoc ipsum alij explicantes Recentiores exemplò durationis, quæ est modus inhærens rei duranti, tanquam accedens subiecto; cum ergo causa materialis ad recipiendum accedens debeat præsupponi priori existens, exinde ad recipiendum accedens, quod est sua duratio, nequit subiectum præsupponi pro priori durans, aut conservatum, sed solum conservabile; Unde existentia principij præsuppositi solum ut conservabilis, & non ut conservati sufficit ad causandum.

Explicatur enim id ipsum in conservatione amoris immediatè libera; nam pro priori ad ipsam supponitur ipse amor cum plena, & sufficienti actualitate ad illam recipiendam, si voluntas ipsam conservare velit, & cum proxima positiva indifferencia amittendi suam conservationem, si voluntas illam nolit conservare, quin hoc libertati officiat; idem ergo dicendum est de gratia, quæ solum est principium actûs præcepti ut conservabilis, non verò ut conservati. Ex quo inferes discrimen inter istum tertium modum defendendi influxum gratiæ in actum præceptum pro instanti determinato, & alios supra rejectos, quia scilicet juxta illos alios defendendi modos, vel ex prælucencia scientiæ mediæ, vel sine illa gratia ut conservata, est principium per se actûs præcepti. At verò juxta istum modum defendendi recentem, gratia, ut conservata, non est principium per se actûs præcepti, sed solum gratia, ut conservabilis; nihilominus